

Quæ cum ita sint: querenda causa est atque reddenda: quare damnantur animæ, quæ novæ creantur singulis quibusque nascentibus: si præter Christi sacramentum parvuli moriantur. Damnari enim eas si sic de corpore exierint: & sancta scriptura, & sancta testis est Ecclesia. Unde & illa de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam non oppugnat, sit & mea: si oppugnat, non sit & tua.

Nolo mihi dicatur pro hac sententia debere accipi quod scriptum est: Qui finxit spiritum hominis in ipso, & qui finxit figillatim corda eorum. Aliquid fortissimum atque invictissimum requirendum est: quod nos non cogat, Deum credere ullarum animarum sine culpa aliqua damnatorem. Nam vel tantumdem valet, vel plus est forsitan creare quam fingere: & tamen scriptum est: Cor mundum crea in me Deus.

Nec ideo putari potest anima hoc loco optare se fieri priusquam aliquid esset. Sicut ergo jam existens creatur innovatione justitiæ, sic jam existens fingitur confirmatione doctrinæ. Nec illud quod in Ecclesiaste scriptum est: Tunc convertetur in terram pulvis sicut fuit: & spiritus revertetur ad Dominum, qui dedit illum: istam confirmat sententiam, quam volumus esse nostram. Plus enim hoc suffragatur eis qui ex una putant omnes esse animas. Nam sicut convertitur, inquit, pulvis in terram sicut fuit: & tamen caro, de qua hoc dictum est, ad hominem non revertitur, ex quo propagata est: sed ad terram, unde primus homo factus est: sic & spiritus ex illius unius spiritu propagatus, non tamen ad eum revertitur, sed ad Dominum à quo illi datus est.

Verum quia hoc testimonium ita pro istis sonat: ut non omnimodo huic opinioni, quam defendi volo, videatur esse contrarium: admonendam tantum credidi prudentiam tuam: ne talibus testimoniis ex his angustis me coneris erudere. Nam licet nemo faciat optando, ut verum sit, quod verum non est: tamen si fieri posset optarem, ut hæc sententia vera esset, sicut opto: ut si vera est, abs te liquidissimè atque invictissimè defendatur.

Hæc autem difficultas etiam illos sequitur: qui jam existentes alibi animas, & ab initio divinorum operum præparatas, à Deo mitti opinantur in corpora. Nam & ab his hoc idem queritur: si animæ inculpate obedientes veniunt quo mittuntur: cur in parvulis, si non baptizati vitam istam finierint, puniuntur? Eadem propterea in utraque sententia difficultas est. Illi sibi videntur de hac facilius exire questione: qui animas asseverant pro meritis vitæ prioris, singulas singulis corporibus implicari. Hoc enim putant esse in Adam mori, in carne scilicet, quæ propagata est ex Adam, supplicia pendere: à quo reatu, inquit, gratia Christi liberat pusillos cum magnis. Hoc quidem rectè, veraciter, optimèque, quod gratia Christi liberat à reatu peccatorum pusillos cum magnis.

Sed in alia superiore vita peccare animas, & inde præcipitari in carceres carnos, non credo, non acquiesco, non consentio. Primò, quoniam nescio per quos circuitus fieri id aiunt isti: ut post nescio quanta volumina sæculorum iterum ad istam sarcinam corruptibilem carnis, & supplicia pendenda redeundum sit: qua opinione quid horribilius cogitari possit ignoro. Deinde quis tandem justus defunctus est, de quo non, si isti vera dicunt, solliciti esse debeamus, ne in sinu Abraham peccans in flammis illius divitis deiciatur? Cur enim non & post hoc corpus peccati possit, si & ante potuit? Postremo & longè aliud est in Adam peccasse. Unde dicit Apostolus: In quo omnes peccaverunt: & aliud est extra Adam, nescio ubi peccasse: & ideo in Adam, id est, in carnem quæ ex Adam propagata est, tanquam in carcerem trudi.

Illam vero opinionem, quod ex una fiant omnes animæ: nec discutere volo nisi necesse sit. Atque utinam ista de qua nunc agimus, si vera est, sic abs te defendatur: ut hic jam necesse non sit. Quamvis autem desiderem, rogem, votis ardentibus exoptem & expetam: ut per te mihi Dominus huius rei auferat ignorantiam: tamen si, quod absit, minime meruero, patientiam mihi petam à Domino Deo nostro: in quem sic credimus: ut si aliqua nobis non aperiat etiam pusillitibus, nullo modo adversus eum murmurare debeamus. Meminerimus ipsi Apostolis dictum: Multa habeo vobis dicere: sed non potestis illa portare modo: in his quantum ad me attinet etiam hoc deputem. Nec qui hoc sciam me indignè indignum: ne hoc ipso etiam convincar indignior. Mul-

ta enim alia similiter nescio, quæ commemorare vel enumerare non possum: & hoc tolerabiliter ignorarem, nisi me tuem non aliqua istarum opinionum contra illud quod firmissima fide retinemus, incautus obreperet mentibus. Sed antequam sciam, quænam earum potius eligenda sit: hoc me non temere sentire profiteor, eam quæ vera est non adversari robustissimæ ac fundatissimæ fidei, qua Christi Ecclesia nec parvulos homines recentissime natos à damnatione credit, nisi per gratiam nominis Christi, quam in suis sacramentis commendavit posse, liberari.

AUGUSTINUS AD OPTATUM Episcopum, de origine animarum.

QUAMVIS tuæ sanctitatis nullas ad me ipsum datas acceperim literas: tamen quia illas quas ad Mauritianiam Cæsariensem misisti, me apud Cæsarem præsentem invenerunt, quo nos injuncta nobis à venerabili Papa Zosimo Apostolica sedis Episcopo Ecclesiastica necessitas traxerat: factum est, ut ea quæ scripsisti, etiam ipse perlegerem, tradente mihi eandem Epistolam tuam famulo Dei sancto Renato, in Christo nobis fratre charissimo, quo petente, & mihi licet aliis occupato vehementer instante, ad ea sum respondere compulsus.

Accessit hæc etiam alterius sancti & debito cum honore nominandi fratris nostri, & quantum ab illo comperi necessarii tui Murensis, cum in suprascripto oppido remoraremur adventus, qui mihi reulit etiam sibi missas de hac re literas venerationis tuæ, & me de hac ipsa questione consuluit, ut quid inde sentirem, vel meis, vel suis scriptis ad te faceret pervenire: utrum scilicet animæ, ut corpora propagatione nascantur, sintque ex illa una, quæ primo homini creata est: an creator omnipotens, qui utique utque nunc operatur, sine ulla propagatione novas faciat singulis & proprias.

De qua re antequam admeam aliquid sinceritatem tuam, scire te volo in tam multis opusculis meis nunquam me fuisse perausum de hac questione definitam proferre sententiam, & impudenter referre in literas alios informando, quod à me non fuerit explicatum.

Quarum autem rerum atque causarum consideratione permovear, ut in neutram assertionem meum inclinaret assensus, sed sic adhuc inter utramque discipitem, nimis longum est hanc Epistolam exponere: nec tam necessarium, ut hoc omisso non possit de hac questione quod satis est disputari: & si non ad auferendam cunctationem: certè ad cavendam temeritatem. Illud enim ubi vel maxime fides Christiana consistit, quod per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur: & quod per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: & quod iudicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in omnes homines in justificationem vitæ, & si qua alia testimonia declarant, neminem nasci ex Adam, nisi vinculo delicti & damnationis obstrictum: neminemque inde liberari, nisi renascendo per Christum, tam inconcusse tenere debemus: ut sciamus qui hoc negaverit, nullo modo ad fidem Christi, & ad eam quæ per Christum datur pusillis & magnis Dei gratiam pertinere.

Unde si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non est. Neque enim in Christum credimus ut nascamur, sed ut renascamur, quomodoque nati fuerimus. Hactenus autem dicimus, sine periculo latere animæ originem: ut non tamen eam partem Dei esse credamus, sed creaturam: nec de Deo natam, sed ab illo factam, atque in eius genus adoptandam, mirabili dignatione gratiæ, non parvili dignitate naturæ: nec eam corpus esse, sed spiritum: nec creatorem esse, sed creatum: nec ideo venisse in hoc corpus corruptibile quo gravatur, quod illuc eam vitæ in celestibus vel in quibuslibet aliis mundi partibus, antea male gestæ merita compulerunt: nondum enim natos Apostolus, cum de Rebecce geminis loqueretur, nihil egisse dicit boni vel mali: ut nullis ex operibus quibus alter non distinguebatur ab altero, sed ex vocante diceretur, minori servitutum esse majorem.

His ergo firmissime constitutis, si tam reconditum atque

abditum est in occultis operibus Dei, ut nec scripturarum divinarum manifesto eloquio declararetur: utrum propterea nihil boni vel mali, nondum nati egisse credendi sint, quia non ex aliis propagatas, sed mox ex nihilo creatas animas singuli accipiunt? An quia cum essent originaliter in parentibus, adhuc ipsi nulli erant, qui suas & proprias vitas agerent? Illa tamen sit fides salva, qua credimus nullum hominem five majoris five parvulæ quambet & recentis ætatis, liberari à contagio mortis antiquæ, & obligatione peccati quod prima nativitate contraxit, nisi per unum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum. Cujus hominis ejusdemque Dei saluberrima fide, etiam illi justis facti sunt salvi, qui prius quam veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides est nostra & illorum: quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. Unde dicit Apostolus Paulus: Habentes autem eundem spiritum fidei, secundum quod scriptum est: Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur. Si ergo eundem spiritum fidei & illi habebant qui venturum in carne Christum præ-nunciaverunt, quem etiam illi qui eum venisse nunciaverunt, sacramenta esse potuerunt pro temporum diversitate diversa: ad unitatem tamen ejusdem fidei concordissime recurrentia. Scripsum est in actibus Apostolorum, loquente Apostolo Petro: Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super colla discipulorum: quod neque patres nostri, neque nos potuimus portare? Sed per gratiam Domini Jesu credimus salvos nos fieri, quemadmodum & illi.

Si ergo & illi, id est, patres portare jugum veteris legis non valentes, per gratiam Domini Jesu salvos se fieri crediderunt: manifestum est, quod hæc gratia etiam antiquos justos vivere fecit ex fide. Justus enim esset fide vivit. Lex autem subintravit ut abundaret delictum, & superabundaret gratia, per quam sanaretur delicti abundantia. Si enim data esset lex que posset vivificare: omnino ex lege esset justitia. Cui tamen bono lex data fit, consequenter adjunxit, dicens: Sed conclusit scriptura omnia sub peccato: ut promissio ex fide Jesu Christi daretur creditibus. Danda itaque fuerat lex, quæ manifestius sibi ipsum ostenderet hominem, ne superbus animus humanus à se ipso se posse esse justum putaret: & ignorans Dei justitiam, id est, quæ homini ex Deo est, & suam volens constitueret, id est, quasi suis viribus partem: justitiæ Dei subiectus non fieret. Oportebat itaque ut addito mandato cujus vox est: non concupisces, superbo peccatori etiam prævaricationis crimen accederet, atque ita gratiam medicinæ non sanata per legem, sed convicta infirmitas quereretur.

Proinde cum omnes justis, hoc est veraces Dei cultores, five ante incarnationem, five post incarnationem Christi, nec vixerint, nec vivant, nisi ex fide incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo: profecto quod scriptum est, non esse aliud nomen sub celo, in quo oporteat salvos fieri nos: ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum ex quo in Adam vitium est. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: quia sicut in regno mortis nemo sine Adam: ita in regno vitæ nemo sine Christo. Sicut per Adam omnes injusti: ita per Christum omnes justis homines. Sicut per Adam omnes mortales in pœna facti sunt filii sæculi: ita & per Christum omnes immortales in gratia sunt Filii Dei. Cur autem creentur etiam illi quos creator præstitit ad damnationem non ad gratiam pertinere: beatus Apostolus tanto succinctiori brevitate, quanto majori autoritate commemorat. Deum enim dicit, volentem ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, atulisse in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem: & ut notatas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quem superius dixerat tanquam figulum lutæ ex eadem massa facere alius vas in honorem, aliud in contumeliam.

Meritum autem videretur injustum, quod fuit inde vasa iræ ad perditionem: si non esset ipsa universa ex Adam massa damnata. Quod ergo fuit inde nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pœnam: quod autem fuit renascendo vasa misericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam. Ostendit ergo Deus iram suam, non utique animi perturbationem, sicut est quæ ira hominis nuncupatur, sed justam fixamque vindictam: quæ de stirpe inobedienciæ ducitur, propagat peccati atque supplicii. Et homo natus ex muliere, sicut in libro Job scriptum est, brevis est vitæ, & plenus iracundiæ. Ejus enim rei vas est, quia plenus est: unde ira vasa dicitur. Ostendit & potentiam suam quæ bene utitur etiam in aliis,

multa illis naturalia & temporalia bona largiens, eorumque malitiam ad exercendos, & comparatione admonendos bonos accommodans: ut in eis discant agere gratias Deo, quod ab eis non suis meritis, qui in eadem massa paria fuerint, sed in illius miseratione discreti sunt. Quod maxime apparet in parvulis: de quibus cum per Christi gratiam renascantur, & istam vitam in illa tenera ætate finientes, in æternam transeunt & beatam: dici non potest, quod libero discernuntur arbitrio ab aliis infantibus, qui sine hac gratia in ipsius masse damnatione moriuntur.

Si autem hi soli crearentur ex Adam qui essent per gratiam recreandi: & præter illos qui in Dei filios adoptantur, nulli alii homines nascerentur, lateret beneficium quod donaretur ingratissimis: quia nullis ex eadem damnabili stirpe venientibus debitum supplicium redderetur. Cum vero atulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, non solum ostendit iram, & demonstravit potentiam suam, redhibendo vindictam, & bene utendo non bonis: sed etiam notatas fecit divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Ita enim quid sibi præstetur, dicit gratis justificatus: dum non suo merito, sed gloria largissimæ Dei misericordiæ discernitur à damnato, cum quo eadem justitia fuerat & ipse damnandus. Tam multos autem creando nasci voluit quos ad suam gratiam non pertinere præscivit: ut multitudine innumerabili plures sint eis quos in regni sui gloriam filios promissionis prædefinire dignatus est: ut etiam ipsa rectorum multitudine ostenderetur, quam nullius momenti sit apud Deum justum, quantalibet numerositas justissime damnatorum.

Atque ut hinc quoque intelligant, qui ex ipsa damnatione redimuntur, hoc fuisse debitum massæ illi universæ, quod tam magnæ parti ejus redditum cernerent: non solum in eis qui originali peccato multa addunt malevolentatis arbitrio: verum etiam in tam multis parvulis, qui tantummodo vinculo peccati originalis obstricti sine gratia mediatoris ex hac luce rapiuntur. Tota quippe ista massa justæ damnationis reciperet debitum, nisi ex ea faceret, non solum justus, sed etiam misericors figulus, alia vasa in honorem secundum gratiam, non secundum debitum: dum & parvulis subvenit: quorum nulla merita dici possunt: & majores prævenit, ut habere aliqua merita possint.

Quæ cum ita sint, si assertio tua non eo tendit, ut novas animas dicas, propter innocentiam novitatis suæ antequam ad peccandum libero utantur arbitrio damnationis originali obnoxias esse non posse: sed eas fide Catholica confiteris, etiam si in illa tenera ætate de corpore exierint in damnationem perditionis ituras: nisi sacramento mediatoris qui venit quaerere & salvum facere quod perierat liberentur: quaere ubi, vel unde, vel quando cæperit damnationis meritum habere si novæ sunt: ita sane ut Deum non facias, nec aliquam creaturam quam condidit Deus, vel peccati carum, vel innocentium damnationis autorem. Et si inveneris quod te admonui quaerere, quod ipse fateor adhuc non inveniri, defende quantum potes, atque asserere animarum infantium ejusmodi esse novitatem, ut nulla propagatione ducantur: & nobiscum quod inveneris fraterna dilectione communica.

Si autem non inveneris, quaere, vel quando, vel quomodo fiant animæ infantium peccatrices, & nihil in se ipsis habentes malitiæ à quo cogantur ex Adam trahere unde damnentur, cum eas credas non ex illa prima peccatrice propagatas, sed novas atque infantes includi carne peccati. Nec sic tam temere in aliam sententiam tua deficiatur assensus, ut eas ex illa una credas propagando traduci, ne forte alius invenire possit, quod ipse non possis, ut aliquando invenias, quod nunc non poteris.

Nam & illi qui animas ex illa una propagari asserunt quam Deus primo homini dedit: atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt: & corpulentis feminibus exoriri. Quo perversius quid dici potest? Neque hoc Tertullianum somniasse mirandum est, qui etiam ipsum creatorem Deum non esse, nisi corpus opinatur. Qua demencia repulsa à corde & ore Christiano, quisquis animam sicuti est non esse corpus, sed spiritum confiteretur, & tamen in filios ex parentibus duci: in eo quidem nullis coarctatur angustiis, quod omnes animas etiam parvulorum quos Ecclesia non utique in falsa, sed in vera peccatorum remissione baptizat: vera fides prædicat trahere originale peccatum, propria primi hominis voluntate commissum: & in omnes

posteris generatione transmissum : ac sola regeneratione purgandum.

Sed cum considerari & pertractari cœperit quid dicatur, mirum si ullus sensus comprehendit humanus : quoniam modo tanquam lucerna de lucerna accendatur, & sine detrimento alterius alter inde ignis exiit : sic anima de anima parentis fiat in prole, vel traducatur in prolem : utrum incorporeum semen animæ, sua quadam occulta & invisibili via, seorsum ex patre currat in matrem cum sit conceptus in femina : an quod est incredibilius, in femine corporis lateat. Cum autem fluunt irrita sine ullis conceptibus semina, utrum semen animæ non simul exeat : an summa celeritate atque atomo temporis unde exierat recurrat, an pereat ? Et si perit, quomodo ipsa cuius mortale semen est, immortalis est anima ? An immortalitatem tunc accipit, quando formatur ut vivat : sicut iustitiam quando formatur ut sapiat : & eo pacto Deus eam fingat in homine, etiam si anima seminaliter trahatur ex anima : sicut fingit in homine corporis membra quamvis corpus seminaliter trahatur ex corpore. Si etiam spiritalis creatura non fingeretur à Deo : non scriptum esset, qui finxit & sigillatim & spiritum hominis in ipso. Et in eo quod legitur : Qui finxit sigillatim corda hominum : si per corda significatæ sunt animæ, fingi eas posse quis dubitet ?

Sed queritur, utrum ex una anima hominis primi : sicut fingit sigillatim facies hominum, ex uno tamen corpore hominis primi. Cum hæc atque huiusmodi de hac re multa quarantur, quæ nullo sensu cordis probari possunt, & à nostra experientia longe remota sunt, atque in abditissimis naturæ sinibus latent : non erubescendum est homini confiteri se nescire quod nescit : ne dum se scire mentitur, nunquam scire mereatur.

Quis autem negat non unius tantum, sed omnis animæ creatorem Deum atque factorem, nisi qui ejus eloquiis aperitissime refragatur ? Sine ulla quippe ambiguitate per Prophetam dicitur : Omnem flatum ego feci, animas videlicet intelligi volens : quod verba consequentia manifestant. Non itaque unum quem factum ex terra homini primo inspiravit : sed omnem flatum ipse fecit : ipse adhuc facit.

Queritur tamen utrum omnem flatum ex uno illo flatu, sicut omne corpus hominis ex uno illo corpore faciat : an vero nova quidem corpora faciat ex uno : animas autem novas ex nihilo. Quis enim congrua suis originibus genera rerum etiam de feminibus facit : nisi qui ipsa femina sine feminibus fecit ? Sed ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, & aperte divina scriptura non subvenit : temere hinc aliquid definire humana conjectura præsumit. Secundum vitas autem quas proprias habere incipiunt, novos homines dicimus nasci, sive anima, sive corpore : At vero secundum originale peccatum veteres nascuntur : ideo baptismate renouantur.

Aliquid ergo certum de animæ origine nondum in Scripturis sanctis comperi. Nam hi qui novas sine ulla propagine asserunt animas fieri, inter testimonia quibus id nituntur ostendere, ponunt etiam illa duo quæ paulo ante commemoravi : Qui fingit spiritum hominis in ipso, & qui finxit sigillatim corda hominum : de quibus vides quemadmodum possit à resistentibus responderi. Utrum enim cum fingit, ex alio fingat, an ex nihilo, incertum est. Illud tamen inter cetera testimonia videtur esse præcipuum, quod in libro Salomonis Ecclesiaste legitur : Et revertetur pulvis in terram suam sicut erat : & spiritus revertetur ad Dominum suum qui dedit illum. Sed facillime responderetur. Corpus in terram, de qua factum est primum hominis corpus : sed spiritus ad Deum, à quo facta est prima hominis anima. Sicut enim nostrum corpus, inquit, quamvis ex primo illo corpore propagatum sit : eo tamen redit unde ipsum primum corpus effectum est : sic anima nostra quamvis ex illa anima propagata, non ad nihilum, quia immortalis est : sed ad illum redit à quo ipsa prima anima facta est. Ac per hoc illud quod scriptum est, de spiritu cuiusque hominis, quod redeat ad Deum qui dedit eum, non solvit istam obscurissimam questionem : quia sive ex illo uno, sive ex nullo alio, Deus utique dedit eum.

Itemque illi qui propagationem animarum inconsiderata temeritate defendunt, inter alia testimonia quæ suæ causæ suffragari arbitrantur, nullum quasi manifestius & expressius pro se possunt putare proferendum, quam id quod in Genesi scriptum est : omnes autem animæ quæ introierunt cum Ja-

cob in Ægyptum, & qui exierunt de femoribus ejus. Hoc enim velut evidentissimo testimonio possunt credi animæ in filios ex parentibus propagari : quoniam satis aperte dictum videtur, animas etiam de femoribus Jacob non sola exisse corpora filiorum : ut eo modo etiam illud intelligi velint à parte totum : quod dixit Adam cum illi mulier ejus ostenderetur : hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Non enim dixit, & anima de anima mea : sed ita fieri potest, ut carne nominata utrumque intelligatur : sicut hic animas nominavit : & tamen etiam corpora in filiis intelligi voluit.

Sed hoc testimonium certe quasi tam clarum atque manifestum, enodandæ huic quæstioni non sufficeret : nec si ita legeretur genere feminino, quæ exierunt de femoribus ejus, ut animas intelligeremus quæ exierunt. Ideo autem non sufficeret, quoniam & animæ nomine corpus solum significari posse, modo quodam locutionis ostenditur : quo significatur per id quod continetur id quod continet : sicut ait quidam, vina coronant, cum coronarentur vasa vinaria. Vinum enim continetur, vas continet. Sicut ergo appellamus Ecclesiam basilicam, qua continetur populus qui verè vocatur Ecclesia, aut nomine Ecclesiæ, id est populi qui continetur, significamus locum qui continet : ita quoque animæ quæ corporibus continentur intelligi corpora filiorum per nominatas animas possunt. Sic enim melius accipitur etiam illud quod lex inquinari dicit eum qui intraverit super animam mortuam, hoc est super defuncti cadaver : ut nomine animæ mortuæ, mortuum corpus intelligatur, quod animam continebat : quia & absente populo, id est Ecclesia, locus tamen ille nihilominus Ecclesia nuncupatur. Hæc responderentur, si sicut dixi feminino genere positum esset, quæ exierunt de femoribus Jacob : id est, quæ animæ. Nunc vero cum masculinum genus sit positum, id est, qui exierunt de femoribus Jacob : quis non ita intelligere malit, omnes animæ eorum qui exierunt de femoribus ejus, id est, animæ hominum : ut etiam sic possint intelligi secundum corpus tantummodo exisse homines de femoribus patris : quorum erant illæ animæ, per quarum numerum intelliguntur tot homines.

Vellem autem legere libellum tuum cuius mentionem fecisti in literis tuis : ne forte ibi aliqua testimonia non ambigua posuisti. A me autem cum quæsisset amicus mihi charissimus, & divinarum studiosum literarum, quid de hac quæstione sentirem : eique remota verecundia hinc ætus meos & ignorantiam falsus essem : scriptis inde longè trans mare ad doctissimum virum cui respondit ille, ut potius me confuleret, nesciens quod jam fecerat, nec aliquid à me certum vel definitum audire poterat. Significavit tamen in eadem brevi Epistola sua, se potius fieri quam propagari animas credere : simul etiam admonens animarum propagationem, quia ipse in Oriente est, Occidentalem Ecclesiam solere sentire.

Hæc ego majori occasione comperita, scripsi ad eum non brevem librum, consulens eum & perens, ut prius me doceat, & tunc ad me mittat quos doceam. Qui liber meus non doctoris, sed inquisitoris, & potius discere cupientis, apud me legi potest : mitti vero uspiam non debet, vel cuiquam foras dari, nisi cum rescripta Domino adjuvante percipero : id quod ille sentit promptissimè ac libentissimè defensus : si me docere poterit quomodo animæ neque ex Adam veniant : & tamen iustam ex illo sortem damnationis inveniunt, nisi ad remissionem peccatorum, renascendo perveniant. Absit enim ut credamus vel animas parvulorum in lavacro regenerationis falsam accipere peccatorum mundationem : vel Deum esse, vel aliquam naturam quam Deus non condidit, illius ex qua mundantur iniquationis auctorem.

Donec ergo aut ille rescribat, aut ego si Deus voluerit aliquo modo discam, si nullam de illa peccatrice originem ducit : quæ causa sit animæ subeundi originale peccatum, quod necesse est esse in omnibus parvulis : & quod eam nec Deus cogit infontem, quia peccandi auctor non est : nec ulla mali natura, quia non est, nihil tale audeo prædicare. Te autem si libenter vel patienter admittis charissime frater, admono ne hæresim novam incautus incurras, quæ antiquissimæ fidei stabilita molitur fundamenta evellere, adversus Dei gratiam disputando : quam Dominus Christus pusillis & magnis ineffabili bonitate largitur : cuius vel auctores, vel certe

certè acerrimi ac notissimi suosores, cum Pelagius & Celestius extitissent, conciliorum episcoporum vigilantia in adiutorio salvatoris qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus antistitibus apostolica sedis, Papa Innocentio & Papa Zosimo, nisi correcti etiam egerint poenitentiam : toto orbe Christiano damnati sunt.

De quibus exempla recentium literarum, sive quæ specialiter ad Afros, sive quæ universaliter ad omnes Episcopos de memorata sede manarunt, ne fortè ad sanctitatem vestram nondum pervenerint, vobis curabimus mitti ab eis fratribus, quibus & has literas ut tuæ venerationi dirigerent, dedimus. Hi autem non ideo sunt hæretici, quia dicunt animas originem de illa prima peccatrice non ducere, quod vel aliqua fortasse ratione vera dici potest, vel sine fidei labe nesciri. Sed hinc conatur efficere, unde omnino apertissime hæretici judicantur : animas parvulorum nihil mali ex Adam trahere, quod sit lavacro regenerationis expiandum.

Nam Pelagii de hac re argumentatio : quæ inter alia ejus damnabilia etiam literis Apostolicæ sedis adjecta est, ita se habet : Si anima, inquit, ex traducere non est, sed sola caro tantum habet traducem peccati : sola ergo poenam meretur. Injustum est enim, ut hodie nata anima non ex massa Adæ tam antiquum peccatum portet & alienum : quia nulla ratione conceditur, ut Deus qui propria peccata dimittit, unum impuret alienum.

Si ergo ita potes animarum asserere sine ulla propagatione novitatem, ut ratione iusta & à fide catholica non aliena, etiam sic peccato primi hominis ostendantur obnoxia : asserere quod sentis ut potes. Si autem eas non aliter à propagatione potes facere alienas, nisi ut simul facias ab omni peccati vinculo liberat : cohibe te ab huiusmodi disputatione omnino. Non est enim falsa etiam in parvulorum baptismate remissio peccatorum : nec verbo tenus dicitur, sed veraciter agitur. Nam ut jam verbe utar, quæ in ipsa Epistola beatissimi antistitis Zosimi legitur : Fidelis Dominus in verbis suis : ejusque baptismus, re ac verbis, id est, opere, confessione, & remissione peccatorum, in omni sexu, ætate, conditione generis humani eandem plenitudinem tenet. Nullus enim nisi qui peccati servus est, liber efficitur : nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus, sicut scriptum est : Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis. Per ipsum enim renascimur spiritaliter, per ipsum crucifigimur mundo : ipsius morte mortis ab Adam omnibus nobis introductæ atque transmissæ universæ animæ illud propagatione contractum chirographum rumpitur : in quo nullus omnino natorum antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius. In his enim verbis apostolicæ sedis tam antiqua atque fundata, certa & clara est catholica fides : ut nefas sit de illa dubitare Christiano.

Quoniam ergo morte Christi non unius aut aliquarum, sed universæ animæ propagatione contractum mortis chirographum rumpitur : si potes animas sic à propagatione defendere, ut tamen hoc chirographo quod sola Christi morte rumpendum est, rectissima ratione demonstrantur obstrictæ : nec sola propagatione, sed carnis hoc debito iuste appareant obligatæ : non solum nemine prohibente defendere : verum etiam nobis quomodo id tecum defendere possimus ostende. Si autem aliter non potes quod de animarum novitate sentis asserere, nisi ut eas dicas peccato primi hominis non teneri, aut per propagationem non suam, sed carnis auctore Deo, vel nescio qua mali natura, innocentissimas fieri peccatrices : melius origo animæ latet, dum tamen eam non dubitemus Dei esse creaturam, quam vel Deus peccati auctor dicitur : vel contra Deum aliena natura introducit : vel baptismum parvulorum in irritum ducitur.

Ut autem à me tua dilectio de hac quæstione aliquid audiat definitum, non parvi æstimandum, imo præcipue necessarium atque retinendum, quomodolibet se origo habeat animarum, sive ex illa una, sive ex nulla alia propagentur : mediatoris tamen animam nullam ex Adam traxisse peccatum, dubitare fas non est. Si enim nulla propagatur ex altera, ubi omnes tenentur propagati carne peccati : quanto minus credendum est ex propagatione peccatricis animam venire potuisse : cuius caro venit ex virgine non libidine concepta, sed fidei, ut esset in similitudine carnis peccati, non in carne peccati ? Si autem peccato primæ animæ peccatricis ideo cetera tenentur obnoxia, quia ex illa sunt propagata : profecto illa quam sibi unigenitus coaptavit, aut peccatum inde

Tom. V.

non traxit : aut omnino inde tracta non est. Neque enim non potuit animam sibi trahere sine peccato, qui solvit nostra peccata : aut qui novam creavit ei carnem, quam sine parente fecit ex terra, non potuit novam creare carnem quam sine viro sumpsit ex femina ?

Hæc sicut potui non quidem ad me datis, sed tamen ad charissimos nostros sanctitatis tuæ literis : non peritiam quam desiderasti, sed sollicita dilectione respondi. Si gratè accipis, & admonitionem fraternam etiam utilem non erando, sed prudenter considerando cum Ecclesiæ pace conservas : Deo gratias. Si autem me ista nondum nosse miraris : vel etiam nec miraris, & ad me aliquid certum de origine animarum salva ista fide quæ certissima atque clarissima est, in tua charitate docere non renuis : multo uberius Deo gratias.

DIVI AUGUSTINI HOMILIA
de pastoribus.

SPES nota nostra quia in Christo : & quia omnis vera & salubris gloria nostra ipse est, non nunc didicit primum charitas vestra. Estis enim in ejus grege qui intendit & pascit Israel. Sed quoniam sunt pastores, qui pastorum nomine gaudere volunt, pastoris autem officium implere nolunt : quid ad eos Propheta dicat, sicut lectum audivimus recentissimus. Audite vos cum intentione : audiamus nos cum tremore. *Et factum est ad me verbum Domini, dicens : Fili hominis propheta super pastores Israel.*

Hanc lectionem cum legeretur audivimus. Hinc cum vestrae sanctitati aliquid loqui decrevimus : adjuvabit ipse ut vera dicamus. Si nos nostra dicamus : pastores erimus pascetes nos, non oves. Si autem illius sunt quæ dicimus, per quæ libet ipse nos pascet. *Hæc dicit Dominus Deus : Ve pastoribus Israel qui pascunt se solos.* Nunquid oves pascunt pastores, id est, non se pascunt pastores sed oves ? Hæc prima causa est quare arguantur pastores isti : quia se ipsos pascunt, non oves. Qui sunt qui se ipsos pascunt ? De quibus dicit Apostolus : Omnes enim quæ sua sunt querunt, non quæ Jesu Christi.

Nos enim quos in loco isto, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundum dignationem suam, non secundum meritum nostrum constituit : habemus duo quædam : Unum, quod Christiani sumus : Alterum, quod præpositi sumus. Illud quod Christiani sumus, propter nos est : quod autem præpositi sumus, propter vos est. In eo quod Christiani sumus, attenditur utilitas nostra : In eo quod præpositi, non nisi vestra. Sunt autem multi Christiani & non præpositi, qui perveniunt ad Deum faciliore fortasse itinere : & tanto expeditius ambulantes, quanto minorem sarcinam portant. Nos autem excepto quod Christiani sumus, unde rationem reddemus Deo de vita nostra, sumus etiam præpositi, unde rationem reddimus Deo de dispensatione nostra.

Ad hoc istam difficultatem proponimus, ut compatientes nobis oretis pro nobis. Veniet enim dies quo cuncta adducuntur in iudicium. Et ille dies si sæculo longe est, unicuique homini vitæ suæ ultimus prope est. Tamen utrumque latere Deus voluit : & quando venit finis sæculi, & quando sit in unoquoquoque homine huius vitæ finis, Vis non timere diem occultum : quando venerit inveniat te paratum. Cum ergo præpositi ad hoc sint, ut his qui subiecti sunt consulant : non in eo quod præsumunt omnino utilitatem suam attendant, sed eorum quibus ministrant. Quisquis ita præpositus est, ut in eo quod præpositus sit gaudeat, & honorem suum querat, & commoda sua sola respiciat : se pascit, non oves. Ad vos sermo dirigitur. Audite tanquam oves Dei & videte quemadmodum vos securos fecerit Deus : Qualescumque sunt qui vobis præsumunt, id est qualescumque nos sumus, vobis Deus securitatem dedit qui pascit Israel. Nam Deus non deserit oves suas, & mali pastores poenas debitas luunt, & oves promissa percipient.

Videamus ergo quid alloquatur pastoribus se ipsos pascibus non oves, sermo divinus neminem palpans. Ecce lac consumitis, & lanis vos tegitis : & quod crassum est interficitis, & oves meas non pascitis : quod infirmatum est, non confortastis : & quod ægrotat, non corroborastis : & quod contribulatum est, non colligastis : & quod errabat, non revocastis : & quod periit, non inquisistis : & quod forte fuit, consecistis : & dispersæ sunt oves meæ eo quod non sit pastor. Dicitur in pastores pascentes semetipsos, non oves :
X